



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCXXXVII. Der Propst Dietrich von Brandenburg contumacirt die in dem wegen des erschlagenen Propstes von Bernau angesetzten Termine ausgebliebenen Interessenten, am 17. Juni 1346.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

denburgensis a sede Apostolica in negotio infra scripto deputati, citavit omnes et singulos, quorum interest, vel qui sua crederent interesse de morte quondam Nicolai prepositi Ecclesie Bernovenfis, dudum in opido Berlin interemti, vt compareant feria sexta proxima post festum Corporis christi proxime veniens in Brandenburg coram ipso domino Episcopo vel preposito Brandenburgensi, vel presbytero Ecclesie parochialis predictae, ad dicendum et docendum de suo interesse et qualiter eorum interesset de morte quondam prepositi predicti, quia paratus esset audire eos et facere eis quid de jure esset faciendum. Alioquin vellet dictus Episcopus ad absolutionem procedere tam virorum quam mulierum opidorum, quas incurrerant propter mortem domini Nicolai prepositi supradicti iustitia mediante, et prout a sede Apostolica recepisset in mandatis, et alia omnia dictus dominus Mathias capellanus fecit, et ibidem publicavit, que in literis citatoriis dicti domini Episcopi Brandenburgensis continebantur. Acta hec sunt anno, indictione, pontificatu, mense die et loco vt supra, presentibus discretis viris dominis Petro de Rathenowe, Johanne Altarista et Alberto Rectore scolarum, presbyteris, testibus ad premissa rogatis specialiter et requisitis. Consequenter parum post supradicta, anno indictione, pontificatu, mense, die dominica qua supra, in ecclesia parochiali nove civitatis Brandenburgensis infra missarum solemniam discretus vir dominus Johannes Amelung Capellanus seu gerens vices domini Johannis de Magdeburch, veri plebani ecclesie supradictae, cui similiter per dictum dominum Episcopum Brandenburgensem mandatum fuit, vt citaret omnes et singulos quorum interesset de morte quondam Nicolai prepositi ecclesie Bernovenfis, in opido Berlin predicti dudum interemti, citavit ad locum et diem supradictos et vt supra scriptum est et omnia publicavit et fecit, que in literis citatoriis dicti domini Episcopi continebantur. Acta sunt hec anno, indictione, pontificatu, mense et loco ut supra, presentibus honorabilibus et discretis viris domino Johanne Knovel, Priore ecclesie Brandenburgensi, Nicolao Valkenrede, Petro de Jano et Henningo, Rectore scolarum, testibus ad premissa rogatis specialiter et requisitis. Et ego Johannes Barldeshufen de Embeke, Clericus Moguntinensis diocesis, publicus autoritate Imperiali Notarius citationibus et publicationibus supradictis dum in vtraque ecclesia successively fierent, et omnibus supradictis cum predictis testibus presens interfui, eaque vidi et audiui, et ad requisitionem honorabilis viri Domini Johannis dictorum opidorum Berlin et Cölne Notarii ibidem presentis ea diligenter conscripsi, et in hanc publicam formam redegi meoque signo signavi requisitus.

Hildein's Beiträge Theil IV, 29.

CCXXXVII. Der Propst Dietrich von Brandenburg contumacirt die in dem wegen des erschlagenen Propstes von Bernau angesetzten Termine ausgebliebenen Interessenten, am 17. Juni 1346.

Nos Theodoricus, Dei gratia Propositus ecclesie Brandenburgensis ac Theodoricus, antique civitatis ecclesie Brandenburgensis Plebanus, publice recognoscimus et ad universonum noticiam volumus pervenire. Quod cum nuper de mandato Reverendi Patris domini nostri Ludovici Episcopi Brandenburgensis, cui commissum fuit per sedem apostolicam, absolvere homines oppidorum Berlin et Cölne Brandenburgensis diocesis a sententia excommunicationis, quam dudum incurrerant, ex morte quondam Domini Nicolai Prepositi Bernoviensis, in dicto oppido Berlin interempti, citati fuissent omnes, quorum interesset vel qui sua crederent interesse, de

morte quondam Prepositi supradicti, vt comparerent coram nobis vel dicto domino Episcopo in Brandenburg feria sexta proxima post festum corporis Christi anni presentis, ad docendum ibidem coram ipso Domino vel coram nobis de huiusmodi interesse, quoniam dictus Dominus Episcopus et nos parati eramus eos audire et facere quicquid de iure eis esset faciendum, juxta mandatum Apostolicum, dicto Domino Episcopo scriptum, et aliter procedere prout de iure esset procedendum. Dicta vero feria sexta adveniente comparuit coram nobis Brandenburgifer discretus vir Dominus Johannes Notarius Consulium et universitatis oppidorum predictorum et ibidem diligenter nomine et pro parte Consulium et universitatis predictae requisivit et expectavit, si qui ex adverso comparerent, pretendentes aliquid interesse de morte supra dicta vel aliquid allegantes, quare ad absolutionem predictorum hominum procedi non deberet, et quia finaliter nullus comparuit coram nobis, qui sua diceret interesse de morte Prepositi supradicti, dictus dominus Johannes contumaciam omnium et singulorum, si qui essent, quorum interesset de morte quondam Nicolai Prepositi supra dicti accusavit, et ipsos petiit contumaces per nos reputari. Et nos similiter dicta feria sexta in Brandenburg satis expectavimus, si aliqui vel aliquis ex parte dictorum Citatorum compareret vel aliquid diceret, quod absolutioni dictorum hominum obstaret, et quia nullus comparuit, vt predictum est, ipsos omnes et singulos sic publice in diversis locis citatos et non venientes ad petitionem dicti domini Johannis reputavimus et reputamus presentibus contumaces. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum Brandenburg, die Sabbathi proxima post festum corporis Christi, anno Domini M^o. CCC^o. XLIV^o.

Hibic's Beiträge Theil IV, 31.

CCXXXVIII. Der Markgraf Ludwig d. ä. bestätigt dem Domcapitel den Besitz des Dorfes Plotzin, am 22. Nov. 1346.

Noverint universi tenorem presentium literarum inspecturi, quod nos Ludovicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie marchio etc. ex literarum illustris principis Ottonis, marchionis secundi et aliorum dominorum marchionum, predecessorum nostrorum pie recordationis, nobis per dominum prepositum ecclesie Brandenburgensis exhibitarum inspectione ad plenum intelleximus, villam Plotzin cum omnibus appendiciis et cum precariis, servitiis et advocatia longis retroactis temporibus ad ecclesiam Brandenburgensem predictam in proprium pertinere; Preterea in casu, quo litere eorundem predecessorum nostrorum in aliqua parte essent defectuose, nos in recompensam gratiarum laborum, expensarum et damnorum, que supra dicti prepositus et ecclesia Brandenburgensis nomine nostri et subditorum nostrorum ac terre nostre in causa, quam dominus archiepiscopus Magdeburgensis nobis movit, super addendo et supplendo damus et appropriamus per presentes, sepedictis preposito et ecclesie Brandenburgensis prefatam villam Plotzin cum omnibus suis juribus, terminis, distinctionibus, pacto, censu, redditibus, terris cultis et incultis, pascuis, fructibus, molendinis, consuetudinibus, advocatiis ac cum omnibus et singulis precariis, servitiis et libertatibus et pertinentiis suis universis, insuper quod in posterum nec capitanei, advocati, bedelli, nuncii, nec officii nostri, nostrorum heredum et successorum nec quispiam cujuscunque conditionis seu status extiterit, eorum nomine in prefata villa Plotzin hospitando, exactionando nec in advocatiis, petitionibus, contributionibus, precariis, servitiis seu preceptis nec aliquo modo perpetuis temporibus intramittant, et si secus per aliquem pre-